



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Scalensi casu, alijsque ecclesiae perturbationibus. cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

duis in laboribus, vigiliisque mirificam constantiam. Delectus est Franciscus Bonhomius Cremonensis, cui Nonantulanam Abbatiam is contulerat; qui decreta in concilio sancita Romam a Pontifice probanda deferret; eorumque pro sua prudentia, doctrina, & fide rationem redderet. eidem ad Pontificem mandata concilij, & singulorum Episcoporum nomine data sunt, ad ecclesiarum salutarem administrationem pertinentia.

De Scalensi casu, alijsque ecclesiarum perurbationibus.

CAP. VIII.

Interim ecclesiasticæ iuris causa, iudiciumque biennio iam ante in Senatores, aliosque datum, fere conticebat. Ac tametsi sacri iuris dignitatem, auctoritatemque per moras eiusmodi lædi Carolus putaret: Pontificis tamen verbis, sapientiaque, tum sua virtute sustentabatur: eoque facilius, quod suis tum iudicibus Mediolani multum tribui videbat; hominesque laicos, ecclesiasticorum criminum reos, eorum iudicij satisfatis quiete parere: tum Magistratus etiam seculares multa concedere, vel dissimulare. Tantum ipse eorum contemptum, seu negligentiam superiore anno, consulto Pontifice, castigauerat; qui anathemate iam ab eo damnati; colloquiorum, rerumque diuinarum communicatione, sicuti par erat, non abstinebant. Verum ea quies & silentium eo demum euasit; ut nouæ, ac maximæ perturbationes efficerentur. Nobile canonicorum collegium Scalense, inter alia Mediolani est, a Regina Scalensi, Barnabæ Mediolanensis Principis vxore inchoatum; & ab ipso Barnabæ post vxoris mortem ea conditione ante annos amplius ducentos, integre constitutum; ut sibi, successoribusque ius ad canonicos nominandos referuaret. De eo visendo, ac recognoscendo Carolus agere cœpit. Canonici contra, regijque Magistratus ecclesiam ab Archiepiscopi potestate dicebant exemptâ: Regi certe ut Duci,

& patrono in ea ius esse. re vera Clemens Pontifex exemerat; sed ita tamen, si Archiepiscopus consentiret: consensu vero nusquam apparebat. Carolus tametsi certo sibi iure niti videbatur; negotium tamen sustinuit; Romamque detulit. cumque respondisset Ormanetus, ac mandasset Pontificis nomine; ut iure suo uteretur; re ille tamen adhuc trahi duobus fere mēsis passus est. Interim canonici (nonnullos semper exceptos volo, quos scio dissensisse) tantum sibi sumpserant; ut ne in vllum quidem ipsius ecclesiæ Scalensis clericum Archiepiscopali auctoritate agi posse contentè affirmarent. immo Vicariū caussarū criminalium, & fisci procuratorē, quia egissent; anathemate notatum publice denunciarunt; Carolus etiam ipsum ea de causa citare ausi. Priuilegij sui, & auctoritatis Apostolicæ nomine id fecerunt; cuius tuendæ ministrum, iudicemque delegerunt leuissimum hominem, atque imperitum Petrum quēdam Barbestum. His rebus cum Magistratus aperte fauerent: Dux etiam ipse semper ecclesiastico iuri tuendo antea deditus, tunc alium se præbebat: siue id aliorum instigatione; siue obretatorum timore faceret; qui calumniandi, accusandique apud Regem, regijque consilium ex pio eius studio occasionem arripuerant. commotus etiam dicitur: quia cum ad tollendum mercatum quendam qui ad sancti Bartholomæi, eius die festo haberi solebat; ipso die Carolus ecclesiam claudi iussisset; ad eam ecclesiam rei diuinæ causa forte is aduenerat; & ut perturbati animi natura est, occlusas fores, contra penitus, ac Caroli mens fuerat, accepit in iniuriæ loco. Vt cumque ille affectus, mutatus fuerit; pœna certe capitali proposita, per eos dies edixit; ne quis aliquo modo regiam iurisdictionem læderet. quod quidem edictum ita cōscri-

scriptum est; vt caufidici, notarij, ministriq; fori Archiepiscopalis omnes, veriti ne qua forte ratione aliquando comprehenderentur; eiusmodi pœne metu, forum, causas, exercitationesque suas omnino dimitterent. Carolus in aperto iure minime hæsitandum, cunctandumue ratus; ne maiora ex his in dies contra Ecclesiæ ius pararentur; simul suspicans, ne tempus ideo duceretur; vt ipse quoque per Barbestum publicum posset proposita denunciatione notari: diem illius ecclesiæ recognitioni deniq; constituit. eo die mane per Iudouicum Monetam presbyterum denunciatur, iam iam se affuturum, ecclesiæ, ac ædium ecclesiasticarum visendarum causa. canonici prius moniti sacrorum festinanter finem fecerant: & plerique sacra linea veste induti, ad cœmeterij ianuam, ceteris omnibus clausis, constiterant. Ex his Calaber quidam senior, qui œconomi munere in Ecclesia Mediolanensi fungebatur; denunciati Ludouico, In regio, inquit, domicilio sumus nulum ius Archiepiscopo in nos: Cardinali id nuncios; moneasque, vt prudenter agat: huc enim spectant edicta promulgata contra homines Regi infidos. Dum ceterorum sententiam, an eadem sit Ludouicus exquirat; exardescit senex; dure increpat; omnes in eum impetum faciunt; impellunt; eijciunt. Carolus ipse non multo post aduenit. qui Cardinalis insigne ante illum gestabat; cum limen intraret, iniecta in frœnum equi manu, repellitur. eodem modo, qui crucem Archiepiscopalem præfererat. tum Carolus mularum descendit; crucem, quam tenere in pronunciatione sententiæ contra canonicos oportebat, prehendit, ingreditur. ibi vero horrendum spectaculum. cœci sacerdotes, qui tanti Antifitis, sacrorumque insignium conspectu placari, aut potius terreri de-

buerant, vehementius accenssi irruerent; armati, quos quasi cum hoste res esset, conduxerant, districtos gladios tollere; Hispaniam, Hispaniam stultissime conclamare; Carolum varie agitatam, & in imaginem Crucifixi semper intuentem repellere; fores obrudere, contraque faciem claudere; multitudinis concursu, strepituque omnia misceri. His interfui adolecens, cum ea via forte præteriens, turba, rei que nouitate motus eo loco moratus essem. Ibi Carolus in canonicos anathema, interdictum in ecclesiam pronunciauit: Vicarius eius generalis Ioannes Baptista Castellus paratum scriptum parieti affixit. quo statim aduersarij conscisso; Vicarium male habuerunt, atque adeo ceciderunt: eodem die a collegio celebriter deductus, præclarus ille litterarum Pontificiarum patronus Barbestus, sententiam solenni ritu, campanarumque sono contra Carolum pronunciauit: grandibus litteris in illius ecclesiæ pariete, alijsque vrbis locis publice notatur, Carolus Borromeus Cardinalis, & Archiepiscopus sacris interdictus, ob Pontificiæ auctoritatis contempcionem. Contra Carolus pronunciationem suam in Basilica maiore statim renouauit. deinde nominatim Oeconomum, totius facti ducem, & alios de quibus constare potuit, ob vim sibi, ministrisque suis adhibitam, sequenti die, ab Ecclesiæ corpore abscissos; eosque, & eorum ecclesiam ijs pœnis constrictam, declarauit, quæ Bonifacij Pontificis constitutione sancitæ sunt in Cardinalium violatores: plura enim erant capita, quibus eo facto canonici grauissimas ecclesiasticas pœnas incurrerant. Duci præterea, Senatuique facinus scripto denunciatur; monuitque, ne forte in tanta re conuiuentes, in easdem pœnas inciderent. Cæsarem Specianum patritium Mediolanensem, tunc

canonicum suum, nunc Episcopum Cremonensem, magna virtute Præfulem, & magnis Ecclesiæ sanctæ muneribus perfunctum, Romam misit, qui acta omnia ad Pontificem referret, & quæ ea de causa opus essent, procuraret. Erant Carolo mœroris non mediocris causæ complures: vastitas ecclesiastici fori: nulla iudiciorum facultas, nisi quam comprobasset Senatus: quamquam ne illa quidem vti quemquam permittebat, ne licentiam eiusmodi probare videretur: publica quædam auctoritatis suæ contemptio: nulla ciuilibus potestatis tutela; quin tacita potius oppugnatione: iactatio aduersariorum; disunctum tandem ab eo, & abalienatum Ducem; Pontificem vero minime, vt putabatur, commotum recentibus factis: Vicarij, consiliarijque sollicitati, ac pene iussit, vt a Carolo discederent: dubitatio piorum, amicorumque hominum, num forte magis cedendum esset, quam tanat turbari finire.

Romæ, & apud Regem de rebus suis agit fortiter.

CAP. IX.

Hoc loco res Caroli cum essent; eò maiori tamen animo esse videbatur, quò grauiori premebatur acerbitate. summa in rebus omnibus circumspiciendis diligentia: neque opera, neque studio causæ deesse: nullum officium Romæ, vel in Hispania prætermittere: sese in primis, ecclesiamque suam, suis, aliorumque precibus impense Deo commendare: spiritibus colloquijs, exercitationibusque sustentari. Atque dum consiliorum suorum, & aduersariorum item rationem perpendens, exponeret omnia Pontifici; illud quandoque dixisse reperio: si eorum malorum in se ipso causam agnosceret, dicturum cum Iona: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare a vobis: cessurum se facile, magisque tranquillam vitam, quod ei facile, iucundumque foret, electurum. Sed cum perspiceret de auctoritate tantummodo

agi: idque curari, ne quid Archiepiscopus in laicos fere sine saculari potestate posset; quod neque iuri consentaneum; & moribus emendandis, salutiq; populi valde incommodum iudicabat: id etiam fortasse agi, vt Carolus tantis molestijs, difficultatibusque defatigatus tandem locum deferret; aliusque Archiepiscopus crearetur, qui vel non posset, vel nollet repugnare: hæc cum videret; decretum sibi esse, omnia potius incommoda perpeti, omnia subire pericula, quam Ecclesiæ causam vniquam deserere. scire se etiam Pontificis in Ecclesia tuenda, & omni æquitate conseruanda religiosissimam voluntatem. nosse Catholici Regis optimam mentem. his rebus in magnam spem adduci, omnia tandem, Deo in primis fauente, felici exitu esse concludenda. Sed quamuis acta Barbesti Pontifex irrita declarasset: ex canonicis nonnullos Romam vocari: & quia non paruissent, anathemate damnari iussisset: remissius aliquanto tamen agi, tardiusue remedia malis presentibus offerri Carolus existimabat, quam res postuleret. cunctationem ipse, dissimulationemque maioribus malis occasionem putabat esse. alij vero maiora mala ita potius auerti, dicebant: omnino Caroli mentem, animumque ea ratione exerceri, & quodammodo expoliri. cum is ita sentiret; tanta tamen erat modestia, tantumque summi Pastoris sapientiæ, atque amoris tribuebat; vt in litteris, quas frequentissime ad procuratoris suos, homines maxime sibi fidos, Romam mittebat; ne verbum quidem reperias, quo vir acerbissime pressus, vel agendi modum reprehendat, vel paulo liberius queratur. de ipsis etiam aduersarijs ita loquebatur; vt quos poterat, excusaret; sicuti vere nonnulli erant aliqua excusatione digni. Merito autem paterno Pontificis amori plene confidere poterat; a quo plurimi